

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur etiam quod Christus sit filius adoptivus. Quia Hieronimus (Lib. II. de Trinit.) dicit: *Potestatis dignitas non amittitur dum carnis (2) humilitas adaptatur*; & loquitur de humanitate Christi. Ergo Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

2. Præterea. Non videtur sequi aliquod inconveniens, si dicamus Christum suum adoptivum: neque enim sequitur quod fuerit filius iræ, neque aliquando fuerit non filius: quia Angeli nunquam filii iræ fuerunt, & tamen dicuntur sui adoptivi. Ergo nihil prohibet Christum dicere filium adoptivum.

3. Præterea. Major est dignitas filii adoptivi quam servi. Sed Christus, secundum quod homo, dicitur servus; ut patet Philip. II. Ergo multo fortius potest dici filius adoptivus.

4. Præterea. Per inhabitationem Spiritus Sancti homo efficitur filius adoptivus. Sed super Christum requievit Spiritus Sanctus, ut dicitur Isai. XL. Ergo ipse debet dici filius adoptivus.

5. Præterea. Augustinus in I. Lib. de prædestinatione sanctorum cap. xv. dicit: *Ea gratia fit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, qua gratia ille homo ab initio suo factus est Christus*. Sed quicumque homo fit ab initio Christianus, fit per gratiam adoptionis. Ergo & ille homo factus est Christus per gratiam adoptionis, & ita est filius adoptivus.

Sed contra. Super illud Rom. I. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, dicit Ambrosius: (a) „Volvi, & revolvi Scripturas. Christum nunquam filium adoptivum inveni.“ Ergo non est dicendus filius adoptivus.

Præterea. Adoptare totius Trinitatis est. Si ergo Christus esset filius adoptivus, esset filius Trinitatis; quod esse non potest, ut supra dist. IV. dictum est.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod, sicut supra dist. VIII. dictum est, de ratione filiationis est ut filius producat in similitudinem speciei ipsius generantis. Homo autem in quantum per creationem producit in participationem intellectus, producit quasi in similitudinem speciei ipsius Dei: quia ultimum eorum secundum quæ natura creata participat similitudinem nature increate, est intellectualitas: & ideo sola rationalis creatura dicitur ad imaginem, ut in II. Lib. dist. XVI. dictum est: unde sola rationalis creatura per creationem filiationis nomen adipiscitur. Sed adoptio, ut dictum est, requirit ut adoptato jus acquiratur in hereditatem adoptantis. Hereditas autem ipsius Dei est ipsa sua beatitudo, cuius non est capax, nisi ipsa rationalis creatura: nec ipsi acquiritur ex ipsa creatione, sed ex dono Spiritus Sancti, ut dictum est. Et ideo patet quod creatio irrationalibus creaturis nec adoptionem, nec filiationem dat; creaturæ autem rationali dat quidem filiationem, sed non adoptionem.

(2) Al. humanitas. (3) Al. habitudo.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale Commentarius in Epistolas Pauli qui ementio Ambrosii nomine prænotatur; nec alibi apud verum & legitimum Ambrosium occurrit; etsi Lib. I. de Fide cap. VII. Non est idem adoptivus, & verus, inquit, nec Filius diceret: *Unum sumus* (Joan. X.) si se cum uno qui verus non esset ipse conferret, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod filiatio per adoptionem addit supra filiationem per creationem, sicut perfectum supra diminutum, & sicut gratia super naturam: unde per creationem homo non efficitur filius naturalis, neque adoptivus, sed tantum dicitur filius creatione; creaturæ autem irrationales nullo modo.

Ad secundum dicendum, quod communicatio quorumcumque bonorum non sufficit ad adoptionem; sed communicatio hereditatis: unde nec aliqua creatura dicitur adoptari ex hoc quod sibi aliqua bona communicantur à Deo, nisi communicetur ei hereditas, quæ est divina (3) beatitudo.

Ad tertium dicendum sicut ad primum.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod beata fruitio sicut excedit naturam humanam, ita & naturam angelicam; unde sicut hoc homini datur ex gratia, & non ex debito suæ naturæ, ita Angelo; & propter hoc sicut competit homini adoptari, ita & Angelo.

Ad primum ergo dicendum, quod domus Dei, in quantum filii adoptivi inducuntur, non dicitur celum empyreum, sed ipsa beatitudo divina, secundum quam Deus in semetipso quiescit, & facit alios in se quiescere; & in hac domo non semper fuerunt, quia non fuerunt creati beati.

Ad secundum dicendum, quod accidit adoptioni quod adoptatus fuerit filius iræ, vel quod fuerit prius tempore non filius: unde ponitur in littera magis ad evidentiam adoptionis quam ad necessitatem. Sed hoc est de necessitate adoptionis ut prius natura sit non filius quam filius, ut filiatio sibi ex natura sua non competat, sed ex gratia quacumque collata; & hoc bene invenitur in Angelo.

Ad tertium dicendum, quod quamvis missio Filii in carnem non fuerit facta ad Angelos; fuit tamen facta ad eos missio quæ est in mentem, ut in I. Lib. dist. III. dictum est.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod Christus nullo modo dicendus est filius adoptionis, quia ei competit ex sua natura, secundum quam æternaliter à Patre nascitur, habere jus in hereditate paterna: quia omnia quæ habet Pater, sua sunt, ut dicitur Joann. XVI. unde hoc jus non acquiritur ei per gratiam advenientem, ut possit dici filius adoptivus.

Ad primum ergo dicendum, quod humanitas adoptatur non ipso capite, sed in membris ejus; & sic intelligendum est verbum Hilarii. Vel dicendum, quod etsi adoptio aliquo modo possit dici de natura creata, quæ per gratiam trahitur in participationem divinæ bonitatis in unitate divinæ personæ; non tamen oportet quod supposito conveniat, cui naturaliter convenit esse beatus.

Ad secundum dicendum, quod sequitur inconveniens, quod Christus ad minus natura, vel intellectu esset prius non filius quam filius, sicut est de

## QUÆSTIO II. &amp; III.

de Angelis; quod nullo modo stare potest quantum ad secundam opinionem, quæ ponit, quod nullum suppositum præintelligitur unioni; nec filiatio convenire potest nisi supposito perfecto.

Ad tertium dicendum, quod Christus cum dicitur servus, importat subjectionem tantum: unde Christus secundum quod homo, dicitur servus, sicut minor Patre: non autem importat acquisitionem per gratiam ejus quod ei convenit per naturam, sicut filius adoptivus: & ideo nomen servitutis aliquo modo conceditur in Christo, non autem nomen adoptionis.

Ad quartum dicendum, quod aliis hominibus per Spiritum Sanctum inhabitantem acquiritur jus in hereditate cælesti de novo, quod eis non competit per naturam, sicut Filio Dei competit: unde per Spiritum Sanctum inhabitantem non dicitur adoptari.

Ad quintum dicendum, quod est similitudo quantum ad rationem gratiæ, quia utraque est sine meritis præcedentibus; non autem quantum ad effectum: quia illa est gratia unionis, secundum quam efficitur naturalis filius; sed gratia qua homo fit Christianus non facit filium naturalem, sed facit tantum adoptivum.

## QUÆSTIO III.

Utrum prædestinatio Christi sit de natura, an de persona.

1. **D**einde quæritur de prædestinatione Christi. Et videtur quod non sit de persona. Prædestinatio enim Christi est ad filiationem, quia prædestinatus est Filius Dei in virtute: Rom. I. 4. Sed filiatio non competit naturæ. Ergo prædestinatio non est de natura.

2. Præterea. Ejus videtur prædestinari cuius est agere, quia ejus est etiam felicitari. Sed agere est suppositi, & non naturæ. Ergo prædestinatio non est de natura.

3. Præterea. Humana natura est unius rationis in Christo, & in aliis hominibus. Sed in aliis hominibus prædestinatio non est de natura. Ergo nec in Christo.

Sed contra. Rom. I. dicit Glossa, quod prædestinatio est uno modo de eo quod non semper fuit. Sed nihil est in ipso Christo quod non semper fuerit, nisi humana natura. Ergo prædestinatio est de natura.

Præterea. Ex hoc aliquis prædestinatur quod prævidetur Deo uniendus per gratiam unionis. Sed humana natura ab æterno est prævisa Deo unienda per gratiam unionis. Ergo humana natura est prædestinata in Christo.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod prædestinatio Christi non sit conformis prædestinationi nostræ. Quia secundum Augustinum prædestinatio qua nos prædestinamur, est propositum miserendi. Sed hoc non competit prædestinationi Christi, quia ipse nunquam fuit miser. Ergo prædestinatio sua, & nostra non sunt unius rationis.

2. Præterea. Effectus prædestinationis est gratia. Sed gratia Christi est alterius rationis quam gratia nostra: quia nostra gratia non est unionis in persona, sicut sua. Ergo nec prædestinatio ejus, & nostra sunt ejusdem rationis.

In III. Sent. Tom. III.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Ex Augustino mutuata,

3. Præterea. Operationes differunt penes terminos. Sed filiatio naturalis, ad quam terminatur prædestinatio Christi, non est unius rationis cum filiatione adoptionis, ad quam terminatur nostra prædestinatio. Ergo non sunt unius rationis prædestinationes.

Sed contra est quod utrique prædestinationi competit una definitio, scilicet prædestinatio est præparatio gratiæ in præsentem, & gloriæ in futuro. Ergo sunt unius rationis.

Præterea. Rom. I. dicit Glossa, (a) quod præclarissimum exemplar nostræ prædestinationis præcessit in Christo. Ergo est unius rationis: quia exemplar, & exemplatum sunt unius rationis.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod prædestinatio ejus sit causa efficiens nostræ prædestinationis. Ephes. I. 5. dicitur: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*. Sed per denotat causam efficientem, quando dicitur Pater operari per Filium. Ergo ejus prædestinatio est causa efficiens nostræ prædestinationis.

2. Item. Videtur quod sit causa exemplaris per illud quod dicitur Rom. VIII. 29. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Sed imago ad exemplaritatem pertinet. Ergo est causa exemplaris nostræ prædestinationis; sicut etiam sua resurrectio nostræ resurrectionis.

3. Item. Videtur quod finalis. Quia nostra prædestinatio videtur esse ordinata ad impletionem corporis Christi, ut patet Ephes. IV. unde ipse videtur esse finis nostræ salutis. Ergo & ejus prædestinatio nostræ prædestinationis.

Sed contra. Æternum non habet causam. Sed prædestinatio nostra est æterna. Ergo non habet causam Christi prædestinationem.

Præterea. Christus non est prædestinatus, nisi secundum quod homo. Sed ipse, secundum quod homo, non est causa nostri, sed secundum quod Deus. Ergo prædestinatio ejus non est causa prædestinationis nostræ.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod prædestinatio accipitur communiter, & proprie. Communiter pro præscientia, & præordinatione cujuscumque; & sic patet quod prædestinatio potest esse de natura. Secundum autem quod proprie accipitur, importat ordinem prædestinati ad gratiam. Gratia autem creaturæ facit unionem ad Deum: quæ quidem duplex est: scilicet per operationem, secundum quam nos unimur Deo, cognoscendo, & amando ipsum; & in persona; & secundum hoc humana natura fuit unita Deo: & ideo cum prædestinatio Christi ordinetur ad gratiam unionis in persona, potest dici, quod natura est prædestinata, vel persona ratione naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem: unde cum unio sit naturæ, potest etiam dici prædestinata; quamvis sibi filiatio non conveniat, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit

de felicitate creaturæ ex hoc quod Deo unitur per operationem; sed ipsa natura beatificatur ex hoc quod Deo unitur in persona.

Et per hoc etiam patet responsio ad tertium: quia prædestinatio aliorum hominum non est ad unionem in persona, sed ad unionem per operationem.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod multa requiruntur in prædestinatione & ex parte (1) prædestinantis, & ex parte prædestinati, & secundum terminum à quo, & secundum terminum ad quem, secundum quod potest attendi diversitas inter prædestinationem Christi & nostram. Ex parte autem prædestinantis, qui Deus est, non est diversitas inter prædestinationem Christi & nostram; est autem differentia ex parte prædestinati: quia in nobis est de persona, in Christo autem de natura, ut dictum est. Similiter est differentia ex parte termini à quo: quia in nobis est, ut liberemur à peccato, sicut dicit Glossa super illud Rom. viii. *Quos prædestinavit, hos vocavit*: in Christo autem non, quia neque contraxit, neque fecit peccatum. Sed neutra istarum differentiarum diversificat rationem prædestinationis; sed solum illa quæ est essentialis, & specifica. Specifica autem differentia cujuslibet motus, vel operationis accipitur penes terminum ad quem. Illud autem (2) ad quod est prædestinatio, non est unius rationis in Christo, & in nobis: quia prædestinatio Christi est ad unionem in persona; prædestinatio autem nostra ad unionem per operationem, aut per habitum assimilantem: & hæc duæ uniones non sunt unius rationis, sed se habent secundum prius, & posterius, & perfectum, & diminutum: & ideo prædestinatio Christi, & nostra non est unius rationis, secundum univocationem, sed secundum analogiam.

Et per hoc facile est respondere ad objecta.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in ipsa prædestinatione duo sunt: unum æternum, scilicet ipsa Dei operatio; & aliud temporale, scilicet prædestinationis effectus. Prædestinatio ergo nostra quantum ad illud quod est æternum in ipsa, causam non habet; sed quantum ad effectum potest habere causam, in quantum scilicet ejus effectus producitur mediantibus aliquibus causis creatis: & secundum hoc prædestinationis nostræ causa efficiens est prædestinatio Christi, in quantum ipse est mediator nostræ salutis; & formalis, in quantum in filios Dei ad imaginem ejus prædestinamur; & finalis, in quantum nostra salus in ejus gloriam redundat.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

## EXPOSITIO TEXTUS.

**C**hristum secundum hominem non esse personam, nec aliud. Primum horum conceditur ab omni opi-

nione; secundum autem non, sed à tertia tantum: quia primæ duæ opiniones dicunt, quod, secundum quod Christus est homo, est aliquid. Hoc autem negare est error.

*Secundum enim multiplicem habet rationem.* Ista divisio accipitur ex comparatione replicationis ad subiectum propositionis: quia potest fieri replicatio vel ejus quod antecedit subiectum, & sic notat causam; vel ejus quod sequitur, & sic notat habitum, aut quodcumque aliud accidens; sed specialiter nominat habitum propter rationem tertiæ opinionis: vel ipsius subiecti; & hoc vel quantum ad naturam, & sic exprimit conditionem naturæ; vel quantum ad suppositum, & sic notat unitatem personæ in Christo.

*Illam tamen personæ descriptio non est data pro divinis personis.* Contra est quod directe ponit eam Boetius in materia ista in Lib. de duab. nat. Dicendum, quod Magister verum dicit, si capiantur strictè ea quæ in divisione ponuntur; sed Boetius large accipit: & hoc patet in I. Lib. dist. xxv.

*Non autem sic dicitur Filius natura.* Dicitur enim Deus natura quasi formaliter; sed dicitur Filius natura, non formaliter, sed quantum ad modum originis, quia per modum naturæ procedit.

*Christus nunquam fuit non filius:* nec prius tempore, sicut nos, nec prius natura, aut intellectu, sicut Angeli, si in gratia creati sunt.

*Christum filium Virginis esse natura, & gratia.* Contra. Natura, & gratia ex opposito dividuntur. Ergo quod est per gratiam, non est per naturam.

Præterea. Christus est filius matris, sicut & quilibet alius homo. Sed alii homines non sunt filii matrum suarum per gratiam. Ergo nec Christus.

Dicendum ad primum, quod gratia unionis non opponitur contra naturam: quia per eam una persona fit duarum naturarum: & sic quod inest per gratiam unionis, inest per alterutram naturarum naturaliter.

Ad secundum dicendum, quod Christum, in quantum hominem, nasci ex matre, non fuit per gratiam; sed nasci simul Deum, & hominem, hoc fuit per gratiam unionis.

*Non talis hic filius.* Ergo videtur quod filiatio dicitur æquivoce. Dicendum, quod non univoce, nec æquivoce, sed analogice, sicut & alia quæ dicuntur de Deo, & creaturis.

*Origine, non adoptione.* Hoc dicitur contra Nestorium, qui cum poneret in Christo duas personas, non potuit ponere unionem nisi per gratiam; & sic sequeretur quod persona hominis non sit Filius Dei nisi per gratiam habitualement adoptionis, sicut & nos.

*Veritate, non nuncupatione.* Hoc dicitur contra Sabellium, qui posuit distingui personas tantum nominaliter.

*Nativitate, non creatione.* Et hoc dicitur contra Arium, qui dicebat Filium Dei esse creaturam.

## DISTINCTIO XI.

Utrum Christus sit creatura, sive creatus, vel factus.

**S**olet etiam quæri, utrum debeat simpliciter dici, atque concedi, Christum esse factum, vel creatum. Ad quod dici potest, quod hoc simpliciter, & absque determinatione minus congruenter dicitur; & si quandoque brevitas causa simpliciter denuntietur, nunquam tamen simpliciter debet intelligi; quia, ut

(1) *Al.* prædestinationis. (2) *Al.* deest ad.

Augustinus in I. Lib. de Trinit. cap. xii. ait, cum de Christo loquimur, quid, secundum quid, & propter quid dicatur, prudens, & diligens, ac pius lector intelligere debet. Qui Christum, vel Dei Filium non esse factum, vel creatum in Lib. I. de Trinit. cap. vi. ostendit, ita inquitens. „In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est, & omnia per ipsum facta sunt. „Neque dicit omnia nisi quæ facta sunt, scilicet omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt omnia; & si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est. Omnis enim substantiæ est cum Patre, ergo facta substantia est, & quæ creatura non est, Deus est. Sed si Filius non ejusdem substantiæ est, non omnia per ipsum facta sunt. Facta igitur substantia non est, sed una cum Patre (1) infecta substantia est. (2) Item in eodem Lib. & cap. „Si vel Filium fecit Pater quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt. At omnia per Filium facta sunt. Ipse igitur factus non est, ut cum Patre faceret omnia, quæ facta sunt. „Idem in Lib. lxxxiii. Quæstionum, quæst. lxxviii. „Dicitur creatura quidquid fecit Pater Deus per Filium: qui non potest appellari creatura, quoniam per ipsum facta sunt omnia. „Ambrosius in Lib. de Fid. I. cap. vi. ait: „Probemus (3) creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio, Marc. ult. 15. Dominum mandasse discipulis: Prædicare Evangelium universæ creaturæ. Qui universam creaturam dicit, nullam excipit: & ubi sunt qui creaturam (4) Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium prædicari, & subiectus esset vanitati: quia, testante Apostolo, Rom. vii. omnis creatura vanitati subiecta est. Non igitur Christus creatura est, sed Creator, qui docendæ creaturæ discipulis mandat officium. „

## De perfidia, &amp; pœna Arii. (5)

**A**rii hæc fuisse perfidia legitur, ut Christum creaturam fateretur; ideo effusa sunt Arii viscera, atque crepuit medius, prostratus in faciem, ea quibus Christum negaverat, fœda ora pollutus. „His aliisque pluribus testimoniis instrumur, non debere fateri simpliciter Christum esse factum, vel creaturam; sed addita determinatione recte dici potest, ut si dicatur: Factus secundum carnem, vel secundum hominem: ut factura humanitati, non Deo tribuatur. Ut enim ait Ambrosius in Lib. I. de Fid. cap. ix. „non Deus factus est; sed Deus Dei Filius natus est; postea vero secundum carnem homo factus ex Maria est. Mihi sit enim Deus Filium suum (6) factum ex muliere, factum sub lege. Galat. iv. 4. Filium, inquit, suum, scilicet non unum de multis. Cum dicit suum, generationis æternæ proprietatem signavit. Postea factum ex muliere asseruit, ut factura non Divinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur. Factum igitur ex muliere dicit, propter carnis susceptionem; sub lege, propter (7) observantiam legis. (8) Generatio generationi non præjudicat, nec caro Divinitati. Deus enim æternus incarnationis sacramentum suscepit, non dividuus, sed unus, & in utroque unus, scilicet Divinitate, & corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine: qui factus est secundum nostræ susceptionem naturæ, non secundum æternæ substantiam vitæ: quem legimus primogenitum, & unigenitum: primo, quia nemo ante ipsum; unigenitum, quia nemo post ipsum. „Ex his evidenter traditur, qua intelligentia accipiendum sit, cum dicitur Christus factus; vel simpliciter, vel cum additamento, ut factura scilicet, vel creatura, non assumptum Deum, sed ad assumptum hominem referatur. In Deo autem creatura esse non potest, ut ait Ambrosius in I. Lib. de Trinit. (9) „Numquid dicto factus est Christus? Numquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturæ simplicis est, non conjunctæ, atque compositæ; cui nihil accidat, (10) sed solum quod divinum est, in natura sua habeat. „Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura, non tamen Christus simpliciter prædicandus est creatura. Nec ex eo quod Christus secundum hominem dicitur creatura, potest quis progredi sic argumentando. Si, secundum quod homo, Christus est creatura, vel rationalis, vel irrationalis; vel quæ est Deus, vel non: nitens per hoc probare, Christum esse aliquid non divinum, quia quod ipse est, secundum hominem ipse est. Et ideo si secundum hominem est substantia aliqua non divina, est utique aliquid non divinum. Sed ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio. Illa autem locutio tropica est, qua Christus dicitur creatura vel simpliciter, vel cum adjunctione.

## DIVISIO TEXTUS.

**P**ostquam determinavit Magister, qualiter ea quæ sunt dignitatis in humana natura, de Christo possunt, vel non possunt dici; hic determinat quomodo de Deo dici possunt ea quæ ad defectum naturæ humanæ pertinent: & dividitur in duas partes. In prima inquit, utrum nomen creaturæ, quod de humana natura dicitur, de Christo dici possit. In secunda, utrum illi defectus qui consequuntur ipsam, in quantum creatura, vel alio modo, ipsi convenire possint, dist. xii. ibi: *Post prædicta quæritur, utrum homo ille cœperit esse, vel semper fuerit.* Prima in tres. In prima movet quæstionem; in secunda determinat in III. Sent. Tom. III.

(1) *Al.* perperam imperfecta. (2) *Addit Nicolai:* Vel sicut Augustinus concludit, unus igitur ejusdemque cum Patre substantiæ est &c. (3) *Al.* superflue additur inquit. (4) *Al.* Deum. (5) *Post nunc titulum addit Nicolai:* Idem Ambrosius Lib. I. de Fide cap. ix. (6) *Al.* deest factum. (7) *Nicolai* (vel per) (8) *Nicolai addit:* De incarnationis dominicæ mysterio cap. v. (9) *Editio Veneta an. 1593. ad marginem notat:* sive de Fide cap. vii. circa medium: cui consonat Nicolajus. (10) *Nicolai* (vel accedat.) (11) *Al.* Si igitur.

eam, ibi: *Ad quod potest dici;* in tertia excludit objectiones quæ contra solutionem fieri possunt, ibi: (11) *Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura, non tamen simpliciter prædicandus est creatura.* Circa primum duo facit. Primo determinat propositam quæstionem; secundo confirmat determinationem: & primo quantum ad hoc quod Christus non possit simpliciter dici creatura, ibi: *Qui Christum, vel Dei Filium, non esse factum, vel creatum, in Lib. I. de Trin. ostendit;* secundo quantum ad hoc quod possit dici creatura cum determinatione, scilicet in quantum est homo, ibi: *Sed addita determinatione recte dici potest.*

## Q2 QUÆS.